



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm II. Si post.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

v. g. quòd Titius à Sede Apostolica priuilegium nullum acceperit, sicuti explicatur in *c. Bona. 23. de elect.* tamen talis negatiua, si ad causam pertinens sit, inter positiones referri potest; videlicet: pono verum, quòd Titius nullum super pluralitate curatorum beneficiorum dispensationem Pontificiam habeat: tunc enim Reus cogetur respondere vel confitendo, vt probatione alià opus non sit, vel negando, quo casu postulante Episcopo seu iudice dispensationem exhibere debet, cum hæc sit quasi exceptio rei, cuius probatio ipsi incumbit.

CAPITVLVM II.

Si post.

PARAPHRASIS.

Si Reus, vel procurator eius, post præstitum iuramentum calumniæ, aut dicendæ veritatis, positionibus Actoris à iudice iussus respondere, absque causa rationabili recuset, vel contumaciter se absenter, haberi debet pro confesso; sin autem se absenter, antequam à iudice respondere

iussus fuit, non debet pro Confesso haberi, sed contra ipsum tanquam contumacem procedi. Ratio huius responsi sumi debet ex doctrina quæ traditur in *Reg. 42. & 43.* quòd tacens censeatur confiteri, si eo loco & tempore interrogetur, quando respondere debet, non autem habeatur pro Confesso, si eo loco ac tempore interrogetur, vbi respondere non debeat. Verumtamen hæc juris tantum præsumptio est, quòd iussus respondere positionibus, si contumaciter recuset, censeatur confiteri, & talis quidem præsumptio, vt contra eam admittatur probatio contrarii, si videlicet rationem afferat Reus, cur ad eam respondere nolit, quia videlicet impertinentes sint, ambigua, aut captiosa: qua de re *gloss. h. c. verb. Absque rationabili*; imò verò tamen positiones tales non sint, si tamen Reus vel procurator probabiliter ostendat se per errorem pro talibus habuisse, & idèd responsionem denegasse, non debet haberi pro confesso, si sententia nondum lata sit. *arg. c. vlt. Extra h. t.*

TITVLVS XIX. DE PROBATIONIBVS.

In Reus conuentus Actoris intentionem, ac positiones non confiteatur; necessariò deueniendum est ad probationes, quare rectè jam agitur de probationibus, sed hoc tit. tantum in genere, postea in specie.

CAPITVLVM I.

Ex Epistolæ.

PARAPHRASIS.

Olim inter Imperatorè Justinianum & Recaredi Visigotorum Regis antecessores pacta intercesserant, de quibus in scrinio siue Archiuo Imperatorio plenior

cognitionem haberi posse arbitrabatur Rex, idèd voluit, Gregorium I. Pontificem scribere ad Imperatorem, vt Instrumenta ex Archiuo suo produci iuberet, ex quibus cognosci posset ad quæ præstanda Imperator ipsi ratione pactorum obligatus esset, sed Gregorius Respondit, inconueniens id fore, quia nunquam aliquis iubendus sit instrumenta quærere & contra se ipsum producere, ex quibus conuincatur.

SUMMARIUM.

1. Non tenetur Reus conuentus propria instrumenta edere actori, ad fundandam illius intentionem.
2. Debet tamen actor ea edere Reo petenti.
3. Com-